

4935  
c.d

9

D. F.

Dissertatio inauguralis Medica,

De

# HÆMORRHAGIIS EX PLETHORA

Quam,

Consens. Nob. atque Experient. Fac. Med. Upsal.

164

BS

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO AC GENEROSO

## D. D. CAROLO à LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN. PROF.  
R. O. ACAD. PAR. PETROP. IMP. N. C. HOLM. UPS. LOND. ANGL.  
FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. NIDROS,  
CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMB.

In Audit. Carol. Maj. Die XXIII. Maji A. MDCCCLXXII.

*Horis Ante & Post Meridiem Solitis,*

Publice ventilandam sistit

Auctor

## Ernest. J. M. ab Heidenstam.

---

UPSALIAE,

TYPIS EDMANNIANIS.

P

# ЛЮДИЩА

СЛОВО ПРО СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА

СВЯТОГО ПАПЫ КИРИЛЛА

СВЯТОГО ПАПЫ ИУСТИНА

## СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА

СВЯТОГО ПАПЫ ГЕОРГИЯ

СВЯТОГО ПАПЫ ПАУЛА

СВЯТОГО ПАПЫ АНДРЕЯ

СВЯТОГО ПАПЫ АЛЕКСИЯ

# AUCTORI NOBILISSIMO.

**M**ortales pelago quam vebimur truci !  
    Aura sive levi linter aquas fecet ,  
    Seu motu rapiatur  
        Præceps undisono sali :  
    Quot casus temues , quot dubii , graves ,  
    Quot tristes fragilem sic agitant trabent ;  
        Ut semper metuendæ  
    Sint syrtes , scopuli , vada .  
O quam fluctivagum terrigenis iter !  
Mundi quilibet ut scanderit æquora :  
    Mox inter necis æstus  
    Vitæque ambiguos natat .  
Duros unda velut per lapides fugit  
    Sese proripiens , exsatiataque  
        Sicut roribus herba  
        Æstu sub medio perit :  
Vanescunt homines baud secus ; omnibus  
    Vitæ pars melior transvolat ocyus  
        Euro . Quam brevis iste  
        Flos ! Vix velliquicæ manent .  
Heu ! nobis miseris , optima quæ dies  
    Ævi , prima fugit : triste subit malum ,  
        Morborum cruciatus ,  
        Mors tandem tacito pede .  
Tot morbi mala , quot corporis invenis  
    Artus ; sique nihil , quod solidi voces ,  
        Deprêndes superesse :  
        Fulget nulla serenitas .  
Interdum dubiis ora coloribus  
    Livent : nunc iterum spicula dentium

Tor.

Torpent: nunc premit aures  
Mordens diraque surditas:  
Nunc tussis sonat & concutit aspera  
Pulmonem tumidum: nuncque gravis furit  
Et depascitur artus  
Febris: nunc tenerum tremit  
Cor: nunc sanguineus torquet anhelitum  
Fluxus: nunc macerans ossa subit dolor.  
Sed non singula, quæ nos  
Vexant, dinumerem mala.  
Hoc solamen erit, magna Medentium  
Quod latit sit. Veteres Phæbigenas suos  
Facient. Sunt quoque nobis  
Sollertes Podalyrii:  
Artis qui Medicæ nempe peritia  
Tanta conspicui sicque ferunt opem,  
Ut fauste relevetur,  
Qui jam depositus prope.  
In scenam Juvenis nunc Opifer gradu  
Heic prodit celebri; Nominis incluti  
Hæres atque Paternæ  
Est artis medicæ vigil.  
HEIDENSTAM Veterem laudibus efferet  
Omnis posteritas: jam Juvenem, PATRIS  
Qui vestigia calcat,  
Concors laudis amor tenet.  
Pergas Tu, melior pars animæ meæ.  
Tranquillis equitet cymba favoniis,  
Et fors vota secundat  
Ad nutum Tua mitior!

G. A. BOUDRIE.



## Proëmium.



emotissimis jam abhinc temporibus sanguis non modo vitæ thesaurus a plurimis reputatus est, verum etiam multi sapientum, vitam animalium in eo consistere existimarunt. Nihilque certius, quam homines & animalia reliqua sine sanguine vivere non posse. Licet vero animali ad vitam sit quam maxime necessarius, plurimum tamen in illis morborum, imo mortis præmaturæ caussa evadit, vel qualitate, vel quantitate vel utrisque peccans. Ad propositum quidem non pertinet pertractare emolumenta atque dispendia, quæ ex sanguine in sanitatem & vitam hominis redundant, cum tantummodo quosdam effectus ex

A

pletho

plethora oriundos, Hæmorrhagias nempe, leviter adumbrare in mente sit. Quo id vero facilius fiat, hanc dissertationem in XII dispescam paragraphos. Quarum prima vocis Hæmorrhagiæ tradet significationem, simulque ostendet quo hæmorrhagiæ, quas pertracto, a cæteris sanguinis eruptionibus differant. Secunda ejusmodi enumerationem sistet hæmorrhagiæ, & vasa, e quibus proveniunt, simul indicabit. Tertia describet ipsam plethoram, qua efficiuntur. Exhibebit quarta personas ad plethoram proclives. Quinta caussas plethoræ in illis. Sexta enumerabit signa, quibus manifestatur. Decebit vero septima, quinam plethoricorum his præsertim obnoxii sint hæmorrhagiis. Octava caussas, in ipsis hæmorrhagiæ perficientes. Imminentis eruptionis signa indicabit nona. Decima prognosin. Decima prima curam præservatoriam. Decima denique secundam ipsam curam.

### §. I.

#### *Vocis Hæmorrhagiæ significatio.*

Origine græca vox *hæmorrhagia* est. Componitur vero voce ἄιμα *sanguis*, & verbo ῥυγνωμ, *rumpo*, & copiosiorem quamlibet sanguinis effusione cum impetu denotat. Hujusmodi etiam naturæ sunt hæmorrhagiæ, de quibus loquimur, conjunctæ cum virium prostratione & cunctis symptomatis, quæ magnæ sanguinis jacturæ effectus sunt. Ab excretionibus sanguinis a natura ad minuendam plethoram paratis, hæ hæmorrhagiæ itaque discrepant;

pant; talia symptomata nullas harum excretionum comitantur, nec illæ quam levissima mala, sed secundam potius afferunt valetudinem. Neque menstrues, neque lochia idcirco ad hæmorrhagias pertinent. Neque fluxus hæmorrhoidalis regularis periodicus. Neque insuetæ istæ sanguinis eruptiones, quæ, secundum Auctores, loco mensium, e vasibus auris externæ, apicibus digitorum, papillis mammarum, umbilico &c. &c. erumpunt, dissertationi huic igitur peregrina sunt. Nec hæmorrhagiis inferi possunt magnæ sanguinis profusiones, e ruptis varicibus, vel anevrismatibus, vel vasibus, vi externa læsis, oriundæ, cum effectus plethoræ proprie dici nequeant. Neque eadem ratione expressiones sanguinis, quæ in diarrhoea & dysenteria e vasibus intestinorum, ut in aliis morbis, e vasibus certorum viscerum, fiunt. Multo minus gingivarum in scorbuticis cruentatio, & ejectio sanguinolenta e fauibus & aspera arteria, quibusdam perquam familiaris.

## §. II.

### *Enumeratio hæmorrhagiæ questionis.*

Hæmorrhagia autem, de quibus agitur, sunt:  
*Hæmorrhagia narum.* Oritur e vasibus membranæ pituitariæ, nares internæ, sinus frontales maxillares & sphœnoidales investientis.

*Hæmoptysis.* Ex vasibus pulmonum & bronchiorum.

*Vomitus cruentus.* Ex vasibus ventriculi, intestinalium tenuium viscerumque adjacentium.

*Mictus cruentus.* E vasis renum, ureterum, vesicæ, urethræ & corporum spongiosorum, quæ urethram circumdant.

*Hæmorrhagia uteri.* E vasis uteri & vaginæ, cæteri que hujus visceris partibus.

*Hæmorrhagia hæmorrhoidalis.* E dictis vasis hæmorrhoidalibus in & externis.

*Hæmorrhagia cerebri seu Apoplexia sanguinea.* E vasis cerebri, cerebelli, medullæ oblongatae & meningum cerebri, præcipue piæ matris.

Omnia hæc vasa, ut notum est, delicatis admodum & teneris constant fibris tunicisque. Neque firmioribus membranis, nec fibris muscularibus teguntur. Neque a partibus, in quibus sita sunt, ita sustentantur, ut facto magno sanguinis impetu illorum expansio ac ruptura præcaveri queat. Facilius itaque aliis corporis humani vasis cedunt, majoremque sanguinis copiam, pro magnitudine voluminis admittunt, rupturæ magis obnoxiae.

### §. III.

#### *Plethora descriptio.*

Vasis itaque §. 2:da indicatis residet plethora, quæ supra modum expandendo caussa primaria fit hæmorrhagiarum. Græcæ etiam originis vox est plethora, a verbo πληρῶ impleo, derivata. Majorem significat sanguinis quantitatem, quam quæ commode a corde vasisque capi & moveri possit. Ab autoribus quoad vasa & vires distinguitur plethora. Per illam, modo descriptam intelligi.

gimus. Per hanc vero non sanguinis tantum abundantiam, sed nimiam potius cordis & systematis vasorum ad sanguinem recipiendum movendumque debitatem. Magnam igitur istam vasorum expansionem, quae debili ægroto, hec tamen scilicet aliisque, in paroxysmo febri peculiari esse solet, strictiori jure plethoram crediderim, ut a quibusdam autoribus, nominandam fuisse spuriam. Ita enim plures intempestivæ & noxiæ venæ sectiones impeditæ essent, in ægro saepius sanguinis penuria laborante, nominis tantum gratia, institutæ. Nunquam itaque spuriam illam intelligendam volumus, quotiescumque in dissertatione hæc vox plethora occurrit, sed veram.

## §. IV.

*Subiecta Plethorae.*

Ad plethoram vero præcipue dispositi sunt, quorum ventriculus, intestina & reliqua viscera, efficaciori munere suo fungendi vi prædicta sunt, & qui vehementi appetitu instructi, ingesta rite concoquunt. Id vero eo magis quando cor vasorumque sistema ea gaudent capacitate, ut majorem sanguinis copiam facilius recipient, vi motrice debiliore; ita ut chylus in sanguinem delatus, ei lente immisceatur, & in sanguinem convertatur, adeoque cum materiis, quae per cutem & renes excernuntur, ab illo nihil perdatur; quod in illis fieri solet, quorum vis vitae fortis celerisque. Plethorae ergo præsertim obnoxii sunt sanguinei & san-

gvineo-cholerici, quia illorum corpus vitæque vi-  
res diæto sese habent modo. Melancholici autem  
& melancholico-cholerici ob firmitatem fibrarum  
earumque vim agendi ad eam minus proclives cer-  
nuntur; si vero per fortunam licet opipare vive-  
re, digestio rite fit, abundantior in illis saepius gi-  
gnitur sangvis, venis tamen potius quam arteriis  
residens, quum hæ difficilius dilatentur cedantque.  
Sunt autores, qui sanguinis copiam in personis mo-  
do memoratis, vocarunt plethoram ad vasa; ple-  
thoram vero ad habitum, quæ in supra dictis lo-  
cum obtinet. In nonnullis jam pueritia adolescen-  
tiaque oritur plethora, ad sexagesimum saepius an-  
num durans. Anno decimo tertio & quarto ut plu-  
rimum in sexu sequiori apparet, illius ad quinqua-  
gesimum usque comes. Hæc vero, ut alia, vicissi-  
tudini subiecta sunt.

## §. V.

*Cauſſæ Plethorae.*

Cum in corpore plus sanguinis paratur, quam  
consumitur, oritur plethora. Copiose assumptus &  
bene nutriens cibus potusque, consuetarum excre-  
tionum sanguinis aliarumque evacuationum suppres-  
sio vel insufficientia, motus necessarii defectus, so-  
mnus placidus & diuturnus, animusque incurius  
atque tranquillus, cauſſæ illius sunt. Remotæ præ-  
terea quædam sunt cauſſæ, sanguinis æque in istius-  
modi corporibus præternaturali accrescentiæ faven-  
tes, ut commoratio in regionibus, aëre temperate,  
potius

potius autem humido quam sicco, gaudentibus, vestitus præter necessitatem densus, aliæque illius generis causæ, quibus solidorum fibræ pedetentim laxantur, circuitus vero sanguinis ac se & excretiones inde pendentes retardantur, & consequenter supra tempus retentioni partium nutrientium in sanguine præbetur ansa. In prædispositis hisce caussis perficitur plethora, juvenili celerius ætate, virili tardius.

## §. VI.

*Signa plēthoræ.*

Cognoscitur vero plēthoræ præsentia in sanguinis sanguineoque cholericis, ex habitu corporis florido subhumidoque, faciei inprimis, oculis rubris & scintillantibus, phlogosi frequentiori, venis tumentibus pulsuque magno & celeri; in melancholicis autem & melancholico-cholericis ex venis adeo turgidis, ut in superficie cutis, præcipue frontis & extremitatum, instar tensæ tactuique duræ se præbentis chordæ jaceant; ex pulsu deinde magno, forti & celeri, capiteque præter morem gravi: In cunctis præterea dictorum temperamentorum personis ulterius se prodit plēthora crebriori capitum dolore, continua corporis lassitudine, aurium tinnitu, vertigine, & ad minimum corporis motum, cordis palpitatione, angustia spirandi insequente sanguinis orgasmo non nihil durante, ac sæpius anxietate & inquietudine. Hæc licet signa plēthoræ ordinaria sint, sub initio formationis illius omnes tamen non adsunt; sed crescente plēthora crescunt.

## §. VII.

## §. VII.

*Subjecta Hæmorrhagiarum.*

Enodatis sic causis hæmorrhagiarum ad horum morborum progredimur disquisitionem. Cum jam paragrapho prima descriptionem, secunda enumerationem illarum fecerimus, sine ulteriori ambagine ad personas præcipue illis obnoxias, conferre nos posse existimaverim. E supra allatis, in fine § 4:tæ in primis, patet, omnes eos id esse in genere, in quorum corpore perfecte, vel quoad maximam partem, formata est plethora. Illud vero in specie valet de plethoricis sensibilioribus teneroribusque solidis, & sanguine valde fluido ac mobili, gaudentibus. Porro de omnibus, quorum parentes hæmorrhagias sp̄eius perpessi sunt. Ætatis tamen respectu hæc dispositio differt. Ita enim plethorici pueri, juvenes puellæque, a decimo tertio ad decimum octavum, & quod excurrit, annum, ad hæmorrhagiæ narium proni, posteriores nominatim, si tempestivus defuerit mensium fluxus, vel debita quantitas. Adolescentes virique ad hæmoptysin, præsertim cum antea narium laborarunt hæmorrhagia, vel etiam, ut haud raro certis subjectis solet accidere, cum fluxum hæmorrhoidalem experti sunt, consveto tempore deficien-  
tem, vel plane suppressum. Fœminæ juniores, quarum menses aut lochia non debite fluunt aut omnino supprimuntur. Omnes vero hæ personæ illud eo magis sunt, si pectore angusto & plano, vel dorso male constructo, vel collo nimis longo  
præ-

præditæ, vel parentibus genitæ hæmoptoicis aut phthisicis, vel si omnes hæ circumstantiæ simul concurrunt. Ad vomitum cruentum, plethorici, qui inferiori ætate hæmorrhagiam narium & virili fluxum hæmorrhoidalem perpessi sunt, mulieresque natu majores & minores defectu mensium laborantes, Eo autem prius certiusque in hunc morbum incidunt dictæ personæ, vasis ventriculi viscerumque, vel ob hæreditariam dispositionem debilibus, vel si a perversa diæta, aut frequenti remediorum irritantium usu, partis virium & activitatis jacturam fecere. Ad mihi cruentum quorum systema urinosis, a natura supra modum tenerum, tunicæ in primis vasorum, potissimum quando defuere consuetæ excretiones sanguinis, aut debilitas, vel prorsus certorum vasorum renum, ureterum &c. &c. ruptura, cæbriori diureticorum usu, effectæ sunt. Ad hæmorrhagiam uteri plethoricæ mulieres, quarum systema uterinum a natura debile, quibusque menses pridem nimis copiosæ, deinde insufficientes vel plane per intervalla suppressæ sunt, aut apud quas regularis fluxus hæmorrhoidalis ad tempus non redit; omnium verum primo uxores partum olim difficiliorem enixæ, aut quibus placenta sub gravitate avulsa est. Ad hæmorrhagiam hæmorrhoidalem, viri plethorici juniores senioresque, qui juventute frequenti narium hæmorrhagia, postea vero fluxu hæmorrhoidalí periodico laborarunt, remediis ex alœ, jalappa & ejusmodi ingredientiis paratis usi; mulieres quoque, quarum menses nimis parce flu-

xerunt, aut ante quinquagesimum jam cessarunt annum, vel quarum quidem sed insufficientes fluunt, quia copiosior sanguinis affluxus, crebro enematum acrum & emollientium vel remediorum purgantium usu, ad vasa intestini recti prolicitur. Ad haemorrhagiam cerebri virilis ætatis personæ senesque plethorici, præcipue qui juvenilibus annis, hæmorrhagiæ narium, virilibusque fluxum hæmorrhoidalem experti sunt, vel usitatas sanguinis evacuationes artificiales neglexerunt; eoque illud magis, si parentibus nati apoplexia defunctis, aut si corpus ita comparatum circumferant, ut verbi gratia, breve collum & caput pectori quasi incumbens. Omnibus hisce autem hæmorrhagiis potius memoratae personæ obnoxiae, cum jam semel aut pluries illis affictæ, eandem semper observant diætam modumque vivendi.

### §. VIII.

#### *Causæ efficientes harum hæmorrhagiarum.*

A dispositione vero §. 7. indicata proveniunt hæmorrhagiæ quæstionis, quamprimum in hisce corporibus sanguinis impetuose præter morem, movetur. Teste experientia, hoc efficiunt vehementiores motus corporis animique affectus turbulenti potus spirituosi, cibusque nimis conditus; percalido vero in aëre tempore æstivo, & hyemali arctis valdeque calefactis conclavebus commoratio, nec non ejusmodi gelu, quo subito a superficie corporis ad majora vasa & cor pro pulsus sanguis, hoc ad fre-

frequenter fortioresque incitat systolas & diastro-  
las, atque sic supra memoratae celerioris & vehe-  
mentioris circulationis fit **causa**. Hæc autem in  
motu sanguinis cordisque **cum** locum habere haud  
possit immutatio sine valida illius expansione, qua  
diameter vasorum amplificatur & tunicarum parie-  
tes **eadem** ratione distenduntur, necesse est ut va-  
sa, quorum § 2:da facta est mentio, hanc eo for-  
tius experiantur dilatationem, cum ob fibrarum &  
tunicarum teneritatem sufficienti inepta sint resisten-  
tiæ. Abundans itaque & celeri motu circumlatus  
valdeque rarefactus sanguis, vasorum, in quibus  
antea sensim sensimque jam fuit accumulatus, eo  
usque distendit tunicas, dum vel poris in eorum  
extremitatibus satis dilatatis, vel ruptis tunicarum  
parietibus, inveniat exitum; & sic in parte, in qua  
est directio sanguinis, hæmorrhagiam faciat.

### §. IX.

#### *Signa hæmorrhagiarum eruptionis imminentis.*

Imminentis vero eruptionis hæmorrhagiarum  
signa, saepius vix percipienda, saepius clarissimamente  
manifestantur. Sic enim hæmorrhagia narum tæpenu-  
mero sine ulla sensatione peregrina præcedente cor-  
ripit, pueros in primis juvenesque, & omnes, qui  
ea saepius laborarunt. Denuntiari tamen ut pluri-  
mum solet pressorio supra nasum orbitasque dolore,  
saepius cephalalgia, aurium tinnitu, vertigine, oculorum  
scintillatione atque rubidine, vasorum colli  
& faciei intumescentia, rubore nasi, illud præser-

tim circa latus, ubi eruptio futura est, horripilatio-  
ne quadam cutis calore insequente, celeri primum  
pulsu, celeriori deinde fortique, in temporibus po-  
tissimum. Quandoque etiam in juvēne sc̄eminiisque  
delicatioribus inopinate & nulla prægressa molestia  
oritur Hæmoptysis ; multi enim ejusmodi ægrotan-  
tium vix sentiunt lineam istam calentem, quæ sub  
eruptionem per medium pectus & asperam arteriam  
adesse solet, ancipitis hujus morbi signum. In se-  
nioribꝫ vero iisque, quorum fibræ firmiores simul-  
que valde sensibiles sunt, quibusdam plerumque ci-  
tra eruptionem horis, arctiori etiam temporis spatio,  
ante hæmoptysin se s̄istit horripilatio cutis tensivo  
pressorioque cum dolore, a collo supra pectus ad  
hypochondria sese extende. Accedit insuper re-  
spiratio laboriosa, anxietas, tussis sicca tinnitans,  
capitis dolor, aurium susurrus & vertigo, insequen-  
te lineæ illius calidæ in medio pectoris sensu, &  
largiore sangvinis tenuis spumosi, s̄epius etiam coa-  
gulati, ejectione. Vomitus cruenti fere semper sunt  
nuntii, horam & quod excurrit eruptionem ejus  
præcedentes, memorata horripilatio, pulsus parvus  
& celer, nausea, vomendi conatus, anxietates cir-  
ca præcordia, dolor pressorius ac tensivus in cor-  
dis serobiculo hypochondriisque, sinistro maxime.  
Peringrata in ventriculo hisce symptomatibus se in-  
jungit sensatio, qualis post assumptum cibum corru-  
ptum solet esse. Ipse postea accedit vomitus, in  
initio cibo incocto, vel semicocto, vel chymo &

pi-

pituita mixtus, ad finem vero sanguine nigro, magis vel minus coagulato. Mictus cruentus æque dicta se fere semper cutis horripilatione manifestat, ipso frigore saepius comitante. Habitiales se præbent locii, dolores tensivi & pressorii circa regionem lumbarem, hypochondriacam, pubis, quin imo complures circa os sacrum & in ipsis renibus. Ubi per tempus durarunt hæc symptomata, advenit mictus ipse, decrescentibus sensim symptomatibus, si scilicet sanguis adeo fuerit fluidus, ut sine impedimento transire possit systema urinosum. Quum vero nimis spissus in quibusdam locis memorati systematis stagnet, horrenda anxietate pressorioque & tensivo dolore cruciatur æger, magna accidente debilitate, lipothymia, sudore frigido &c. &c. aliisque symptomatibus, haud cessantibus, priusquam attenuatus sanguis cum urina excernatur. Hæmorrhagiam uteri quoque præcurrunt horripilatio ista multotiesque frigus & dolores tensivi pressoriique in dorso & regione hypogastrica, præsertim pubis. Insequuntur mox anxietates, cordis palpitatio, respiratio anhelosa, inflationes in abdomine, magna debilitas, frigidus sudor, frequenterque lipothymia. E corpore denique ruit sanguis ad partem coagulatus & quasi in frustis. Hæmorrhagia hæmorrhoidalis nuntium habet dictam horripilationem, imperceptibilem saepè, saepè fortiorē. Futuram vero semper indicant tensivi pressoriique circa os sacrum & coccygis dolores, ac majori vel minori gradu coniunctus stupor crurum cum refrigeratione pedum. Ra-

ro sit, ut sine prægressis inflationibus intestinorum, doloribus colicis, vel torminibus, languore &c. appareat. Alvum tandem deponere cogitur æger, tumque sanguis fluidus aut paulum coagulatus excrementis mixtus, postea purus excernitur. Manifestat se in prædispositis hæmorrhagia cerebri capitis dolore gravativo & pressorio, aurium tinnitus, vertigine, ingenii memoriæque hebetudine, rubentibus & scintillantibus oculis, insveto rubore atque tumore faciei, magna venarum jugularium, frontis &c. &c. turgescientia, pulsu celeri, pleno fortique. Omnia vero hæc symptomata eo certius imminentis apoplexiæ sunt signa, si conveteræ in agroto desideratae vel subito suppressæ fuerint excretiones sanguineæ, e. g. mensum vel hæmorrhoidum, aut si ardenti ira, potus spirituosi abusus, nimio corporis motu, subitaneo terrore vel vehementiori frigore, sanguis præter morem agitatus, ab ambitu corporis ad interiora majora vasa & cor, atque sic porro ad vasa capitis insveta quantitate impetuque fuerit pulsus, & debita ratione per venas haud remanaverit. Perfectam vero hæmorrhagiæ indicant hæc symptomata sensim sensimque crescentia, rubor scilicet & intumescentia faciei, oculi rigentes adeoque tandem tumentes, ut quasi modo e capite videantur eminere; mutatur pulsus a celeri pleno fortique, in langvidum & rarum, accidente demum laboriosa cum stertore & rhoncho respiratione, dentium stridore, vomitu, motu omnium musculorum convulsivo, atque canctorum sen-

sensuum externorum & internorum abolitione & motuum voluntariorum cessatione.

Recensita licet symptomata hæmorrhagiam ex plethora annuntient, notum tamen est, non semper omnia, sed quædam tantummodo illorum in omni adesse ægroto. Quod etiam valet de symptomatibus, quæ effectam hæmorrhagiam comitantur. In gratiam vero quorundam lectorum hanc observationem haud omittendam duxi.

### §. X.

#### *Prognosis.*

Multum cum sanguinis in unaquaque dictarum hæmorrhagiarum perdatur, maximi omnino momenti morbus æstimandus est. Eoque potius erit, si debito tempore tolli nequit, aut æger illo durante valde debilitatur, aut si penitus in lipothymiam incidit, ex qua difficillime revocatur. Sit etiam ut denique supprimatur hæmorrhagia, magna tamen insequitur virium prostratio, quæ, nisi cito reparetur, morbum hypochondriacum, hystericum, hepticum, tympanitem, hydropem &c. adferre potest. Si autem nullo modo sistenda, mors eivitari nequit. Quam ancipites vero quamque periculosa sint hæmorrhagiæ, nonullæ nihilominus ex illis, quibusdam casu prosunt. Huc referendæ hæmorrhagia narium & hæmorrhoidalis. Maximi ambo in morbis acutis subsidii, præcipue si fiant die critico, quia graviora illorum symptomata, calorem nempe ardentem,

in-

inexplicabilem sitim, vehementes capitis dolores; vertiginem, aurium tinnitus, delirium, respirationem laboriosam, dolores pectorios, &c. multopere minuant, imo quandoque tollunt. Ambæ itaque saepius apoplexiā sanguineam, pleuritidem aliasque inflammationes aut avertunt aut ad summam partem earum perficiunt curam. Neque minus favent mendax hæmoptysi, symptomata ejus mitigando. Ubi vero diutius durant dicitæ hæmorrhagiæ, sequitur illas, ut cæteras, langvore repleta vita & morbi supra memorati, aliique. Reliquæ ex plethora hæmorrhagiæ valetudini nunquam non nocent. Novi tamen septendecim annorum virginem cui redeunte quovis mense, loco menstrui fluxus, per biennii spatum rediit vomitus cruentus, absque ullo sanitatis detimento. Hæmoptysis in plethoricis majoris vel minoris momenti est, pro ratione vehementiæ, durationis vasorumque, e pulmonalibus nempe fiat, an bronchialibus. Quandocunque enim parum abit sanguinis rubri spumantisque, illaque desinit cum omnibus symptomatibus, quæ ante eruptionem sensit æger, signum est e poris arteriæ bronchialis venire, illique radicitus mederi posse. Ubi e contrario sanguis cum impetu & per longum tempus ex ore quasi proruit, radicalis raro locum obtinet cura, cum tunc e vasis indigitatæ arteriæ aut profus e ramo pulmonalis effluat. Vidi tamen ejus modi hæmoptysin ad quoddam tempus omnino sublatam, neque phthisin, nec alios morbos induxit hec ticos; vitiis vero in diæta commissis, recidit.

Anno

Anno 1753 Februarii Martiique mensibus morbus iste quasi epidemice grassabatur Stockholmiae. Curæ Vener. Parentis quidam ex eo ægri tunc temporis commissi erant, talisque fuit in medendo fortuna, ut plurimi eorum in pristinam valetudinem restituti, ne minima quidem mali illius incommoda postea sint perpetui. Superstites in vita adhuc sunt ex ipsis quidam, qui præter levem tussim, vere autumnaque per breve tempus infestantem, quam optime valent. Ex illis vero, quos morbus corripuit recidivus, duo erant per 6 dies largiorem sanguinis copiam rejicientes. Neque eo minus ante annum 1769 obiere, alter sexagesimo ætatis anno, alter sexagesimo sexto, quamvis haud prudenter viventes, sed potius gulæ indulgentes, nullamque tempestatum habentes rationem. Quam feliciter vero harum haemorrhagiarum absolvatur medela, brevi tamen fere semper lethales esse solent, præser-tim e majori diætorum vasorum ramo rupto factæ, quandoque sanguis non ejactus in aspera arteria stag-nat. Quæ in principio levis fuerit hæmoptysis, in qua vero cum sanguine rubro spumante proruit coagulatus, per se equidem vitæ discriminem non affert illico, progressu tamen, cum sanguis extravasatus in bronchia haud ita deponatur, ut commode tussiendo possit ejici, verum potius ad partem remaneat in pulmonibus, ibi stagnet, calore solvat-ur atque in saniem denique vertatur, sensim sensimque eorum quae rodit & exulcerat substantiam, inducitque phthisin pulmonalem ac frequentiores

recidivas. Vomitus cruentus radicitus curatur, cum sangvinis exigua rejicitur quantitas, cito cessat ipse vomitus, & symptomata antecedentia facta eruptio-  
ne plenario desinunt. Neque minus extra descri-  
men est, quando in foeminis loco mensium, fluxus-  
que hæmorrhoidalis periodici in viris, sine magnæ  
debilitatis aliarumque gravium symptomatum appa-  
ret sensu, quamvis tunc abundare soleat; quamprimum enim hæ excretiones in pristinum statum re-  
deunt, cessat nunquam reversurus, nisi illæ fuerint  
turbatæ. Abundanter autem respiro sanguine ma-  
ximi est momenti, cum tunc ex vase vel pluribus  
ruptis proveniat. Hic si diu durat vomitus, eoque  
durante cruciantes anxietates, lacerantes in regione  
epigastrica hypochondriisque sentiuntur dolores, si  
animi denique adsunt deliquia summo sane pericu-  
lo versatur æger. Licet etiam demum sistatur vo-  
mitus, recidivus tamen ut plurimum recurrit, mor-  
bosque hystericos, hypochondriacos, heæticos alio-  
rumque malorum adducit catervam, que vitam de-  
plorandam reddunt. Mieatus in plethorico juniori  
nil mali ominatur cruentus, si præter plethoram  
caret caufsa, aut ex turbatis vel suppressis natura-  
libus sangvinis excretionibus oritur, sanguis sine  
impedimento cum urina abit, neque graviora eru-  
ptionem antecedunt aut comitantur symptomata.  
Discrimine vero plenus si post diuturnos dolores  
dorsales & colicos gignitur, aut usum diureticorum  
insequitur, ac magnam debilitatem, vehementem  
colicam, in dorso dolores, nauseam, conatum vo-  
men-

mendi aut vomitum secum fert. Si vero memoriae indolis est mihius, neque sistema urinosum liberè potest permeare extravasatus sanguis, ibi passim versans stagnansque, ultroque accedunt lipothymiae, stagnansque haud solvit sanguis ut cum urina excernatur, vita periclitatur. Hæmorrhagia uteri in plethoricis nunquam levis est momenti, præcipue in gravidis aut partu difficultiori vel abortu orta, quia tunc quam plurimum ex ruptis vasis venit, manu non semper attingendis. Sistit itaque cum nequit moritur æger; sistitur eum debito tardius, per vitam multis gravioribus morbis referatam languescit. Semper lethalis est hæmorrhagia cerebri ubi ex majori ramo rupto fit, quia agger illi ullo modo ponit nequit, nec sanguis extravasatus resorberi ac circulanti admisceri. Neque discrimine caret licet modo sanguis ex dilatatis poris arteriæ, vel arteriarum quarundam proveniens, in unum alterumve ventriculum desfluat, quia, cessante etiam sanguinis effluxu, egressus tamen raro absorbetur & mastæ circulanti incorporatur. Inde plerumque paralyses & singula vel plures recidivæ. Eos quod attinet affectus apoplecticos, quibus ita mederi possumus, ut ne minimam dein percipiatur æger molestiam, hæmorrhagiæ cerebri ortum non debent, sed potius, ni valde fallor, sunt effectus congestionis sanguinis in vasis cerebri factæ, id est, cauſæ, per quas operantur symptomata, imminentem sanguinis eruptionem indicantia; vel, si omnia largior, effectus tantum separationis liquidi copiosioris in ventriculis cerebri.

## §. XI.

*Cura prophylactica.*

Morbus impeditur impediendo caussas prædisponentes & efficientes. Illud sit in hæmorrhagijs tractatis avertendo abundantem sanguinis generationem; hoc vero generatum ita cœrcendo, ut effe. Etus exercere nequeat. Obstant vero nimiæ sanguinis generationi cibus parum nutriens modice assumentus, aqua pura fontana pro potu quotidiano sumta, sufficiens motus, naturalium sanguinis excretionum sustentatio vel restitutio, rectus reliquarum 6 rerum non naturalium usus, corpusque debite vestitum. Eodem modo inchoantis plethoraæ optime certissime que avertuntur effectus, modico inprimis cibi potusque usu, frequenti, verum temperato corporis motu, paucō somno in conclavi frigido atque spatiose, ubi purus aër. Noxiis vero effectibus plethoraæ jam natæ, in motu positæ certisque in vasis accumulatae, optime medetur larga venæsecchio, rectus hirudinum, cucurbitarum cum scarificatione, laxantium antiphlogisticorum & supra dictorum elysmatum usus, quies denique corporis & animi, quæ ad temperandum sanguinis orgasmum multum conducunt. Tempus & circumstantiæ, quo modo omnia hæc remedia adhibenda sint, peritum docent medicum. Nullam itaque ulterius illorum injecturus mentionem, curæ hæmorrhagiarum questionis, me jam accingo.

## §. XII.

## §. XII.

*Hæmorrhagiarum cura.*

Quam sit difficile & sèpius quam impossibile  
rupta certis in locis, præcipue viscerum vasa, consol-  
lidare, nimisque dilatatis atque debilitatis tonum  
& robur ad functiones exercendas reddere, præcti-  
co cœconomiam animalem haud ignorantis, notum est.  
Cura itaque hæmorrhagiarum quæstionis, quo felici  
absolvatur eventu, quantumque potest ad æmolu-  
mentum ægri dirigatur, summam requirit dexteritatem  
in seligendo & applicando remedia a me hunc  
in finem proposita. Hæc vero, si certa remedia  
pharmaceutica sanguinis orgasmum temperantia, nec  
non ligaturas artuum, turundines fungumque quer-  
cinum addas, nulla alia sunt, quam quæ jam for-  
matam & eruptionem minantem plethoram cu-  
rant. Videamus nunc, quomodo his remediis in  
quavis hæmorrhagiarum, de quibus egimus, ad sa-  
nitatem recuperandam vel saltem morbum minuen-  
dum & allevandum, utendum sit. Narium autem  
hæmorrhagia primum quidem nostræ se offert con-  
templationi. Quam ominosa vero sit, ubi vehemens  
diutiusque durans, tam per se quam ratione even-  
tus, per accidens tamen plethoricis proficia admo-  
dum & salutaris esse solet. Primos enim plethoræ  
in motum positæ subito & efficaciter tollit effectus,  
rapidiorem scilicet circulationem, febrem, accumu-  
lationem sanguinis in vasis, præcipue cerebri & me-  
ningum, stagnationes & inflammations inde pro-

venientes, gravissimos ita morbos, capit is in primis, cum funestis eorum effectibus avertit. Non itaque subito sed sensim neque prius compescenda est, quam sanguis abundans illius ope corpore fuerit eliminatus. Curæ inserviunt remedia nitrosa, clysmata & laxantia antiphlogistica, hæc apprime ubi æger spasmodicis in abdomen affectibus simul vexatur aut vexatus fuerit; hirudines, cum hæmorrhoidalibus fluxus suppressus, vel magna fuerit in vasis hæmorrhoidalibus sanguinis accumulatio, vel mensium denique fluxus imminutus aut plane deficiens; venæsectio larga revulsoria, potissimum necessaria valde plethorico ægro; frequens julapiorum refrigerantium atque emulsionum ex seminibus 4. frigidis paratum usus. Semper fere hoc modo brevi tempore felicique eventu curatur hæmorrhagia una cum causis, hoc est, plethora & vehemens circulatio, præcipue si magnus ramus vasis sanguinei cujusdam non fuerit lœsus, sed modo sanguis profilierit ex vasorum orificiis præter morem dilatatis. Nihilo vero secius si perdurat hæmorrhagia, vas ruptum est. Ubi æger symptomata nimiæ sanguinis jastræ sentit, recensitis ulterius alia citissime adjungenda remedia, quo malo ponatur obex & graviora alia præcaveantur, quæ profusionem largioris sanguinis copiæ sequi solent, scilicet lipothymia, mors ipsa vel morbi chronicæ, affectus v. g. hypochondriaci & hysterici, cachexia, hydrops multaque mala ex imminuta activitate partium solidarum corporis profluentia. Quæ præterea ad cœrcendam hæmorrhagiam adhibenda remedia, dictæ sunt ligaturæ

turæ artuum, turundæ ex linteo carpto, vel fungus quercinus tundendo paratus. Haud equidem ignoror plura in hæmorrhagia narium ut specifica commendari; hæsitavi vero ista præsenti dissertatione ut satis tuta proponere, cum diu sit, quod e-  
doctus fuerim, rem quampliam recto solum usu proficere, aliter qualemcumque nocere. Remedia insuper a me indigitata ad medelam hæmorrhagiarum sufficient, nisi fuerint incurabiles. Redeamus jam ad ligaturas, quæ in extremitatibus, manibus præsertim & brachiis instituuntur, non vero fortius adstringendæ, quam satis est ad minuendum nimium sangvinis impetum versus caput. Turundæ aceto humectantur, & in singula cavitate narium aut ambabus, pro ratione profluentis sangvis intrudontur. Idem fit cum fungo quercino præparato. Quum ex voto ita res succedit, ut turunda vel fungus vas læsum attingat & comprimat, mox cessat hæmorrhagia. In quiete interea versetur æger, parce loquatur, per os apertum cautus respiret, neque nares emungat. Sit aër in conclavi potius frigidus, quam calidus, quantumque potest a pulvere mundus, ne æger inde sternutet. Juscula sumat parca quantitate, quæ non exæstuant, omnique alio, præter panis parum, abstineat cibo. Pulveris temperantis, emulsionis ac julapiorum usu pergat, & quo alvus munere suo rite fungatur, debito tempore detur clysmæ. Elapsis 36. aut 48. horis turunda aut fungus e naribus decidet. Hoc priusquam vero evenit, copiosus e naribus excernitur

mu-

mucus, nullo modo emungendo provocandus, sed levi manu abstergendus. Elapso fungo aut turunda quietus se teneat æger seduloque omnia vitet, quæ vel minimam irritationem aut concussionem in naribus producunt. Ad confirmandam valetudinem fugiat caussas, nimiæ sanguinis generationi faventes, & circulum illius celeriorem reddentes. Remediorum leniter laxantium ex rheo paratorum pergit usu, & quædam quotidie grana extracti corticis peruviani, qua placet forma, sumat in restitutionem virium. Secunda hæmorrhagia cuius describenda nobis occurrit cura, hæmoptysis est. Cujus quam primum prædispositos (§. 7.) prima invaserint symptomata, (§. 9.) convenientibus obviam eundum remediis, quo, si fieri potest, magna dilatatio & sequens **ruptura vasorum**, e quibus provenit, avertatur. Proutinus itaque instituenda est venæsectio, administrandi pulveres nitroſi & emulsiones, injiciendumque clyſma antiphlogisticum. Suppressus hæmorrhoidum, mensum vel lochiorum fluxus, causa ubi mali fuerit, festinanter applicandæ hirudines, priori casu vasis intestini recti tumidis, posteriori marginibus labiorum vulvæ, aut si fœmina hæmorrhoidaria, utrisque simul partibus, quo efficacior fiat revulſio. In usu horum remediorum perseverandum est, ubi sanguinis ejusſio durat vel plane augetur. Sit interea in quiete æger, & aér in conclavi temperatus ac purus, ne tuſsim irritando excitet. Pro potu ordinario præter emulsionem bibat juscum tepidum ex avena & aqua fluviali coctum,

coctum, sacharo edulcatum. Quum demum cessavit hæmorrhagia, recidivæ præcaventur modico cibi potusque usu, excretionum sangvinis naturalium, fæcum alvinarum &c. sustentatione aut restitutio-ne, omnium in usu 6. rerum non naturalium erorum sedula vitatione. Ad perficiendam curam & confirmandam valetudinem optime inservit infusum ex herbis vulnerariis e. g. Hyperico bis de die cum laete assumtum, nec non Tinæt. Rhei dulc. V. P. a) tertia parte elixirii pectoral. mixtum. Si vero systema nervosum ægri cæteræque solidæ mobilesque corporis partes, magna sensibilitate gaudent ac mobilitate, extractum cort. peruv. succo Glycyrrhizæ mixtum, nuper memoratis remediis ad junctum, ad roborandam sanitatem haud parum conduceit.

Tertio considerandus venit vomitus cruentus. Requirit iste venæsecionem, usum pulveris temperant: V. P., b) emulsionis, clysmatum emollientium, atque in hæmorrhoidariis & inordinato vel suppresso mensium fluxu laborantibus, applicationem hirudinum. Protinus in brachio debita quantitate instituenda venæsecio. Statim dosis pulv. temperant. exhibenda. Continuo pro potu ordinario tepide assumenda emulsio, vel juscula tenuia ex avena vel hordeo ex aqua fluviali parata. Neque minus enema simul ac fieri potest, injicendum. Supra abdomen applicandus foccus ex floribus chamomillæ & mentha crispa, modice calefatus. Hirudinum ubi indiget usu æger, confessum

D

in-

a) vide Kongl. Rese-Apotheket. b) ibid.

instituendus est enemate vel enematibus injectis re&toque & colo a fæcibus liberis. Edocent medicum indoles & natura tam morbi quam ægri, quam diu hæc remedia sint adhibenda. Quum sæpius in ejusmodi ægrotis in primis viis & intestinis acres lateant materiæ, lenibus sensim purgandæ sunt remediis, quod optime fit Tinct. Rhei V. P. cum syrupo rosarum solutivo mixta: Cessante demum vomitu atque ventriculo & intestinis tenuibus &c. a sanguine coagulato liberatis, infusum ex herbis vulnerariis sufficienti la&tis quantitate & vitello ovi mixtum, bis, ter vel quater quotidie bibat æger. Omnes in usu 6. rerum non naturalium sedulo vitet errores, paululum modo, per vices assumat cibi, omnemque horreat multum conditum, concoctu difficultem & flatulentum, potus spirituosos, refrigerationem corporis, pedum præcipue atque abdominis. In majus ventriculi robur debito tempore & refra&ta dosi utatur extracto cort: peruv. aqua soluto atque syrupo capill: vener: vel alio qualicunque mixto, continuetque cum Tinct. Rhei. dulc. & infuso ex herbis vulnerariis. His remediis si quamdiu debet, steterit indesinens, tutus a recidivis præstatur, nisi vomitus ex tali ramo vasis sanguinei rupto profiliit, cujus impossibilis est consolidatio.

Mictus cruentus, de quo jam agendum, iisdem ac vomitus profligatur remediis, & in quorum usu, eodem fere modo, ut illo, se gerit medicus. Loco autem facci ex herbis, emolliens supra regionem renum modice calefactum applicandum est ca-

**taplasma.** Cum major vasis sangvinei haud ruptus fuerit ramus, remediis indicatis subito cedit mi-  
ctus, alioquin diutius durat. Usu remediorum in-  
terea illo ordine pergitur, ut modo hæc, modo il-  
la, pro ratione scilicet circumstantiarum, sumat æ-  
ger. Mihtus ubi adeo fuerit violentus, ut syste-  
ma urinosum percurrere nequeat sanguis extravasa-  
tus, pro parte ibi stagnans, spartam tuentur conve-  
nientia diuretica, debita dosi & per debitum tem-  
pus adhibita. Emollientia simul injicienda enema-  
ta & cataplasmatum usu persistendum, vel balne-  
um emolliens parandum, in quo supra umbilicum,  
quamdiu tulerit, sedeat æger. Quamprimum vero  
in lectum temperatum receptus fuerit, iterum po-  
natur **cataplasma**, quo viæ urinariæ quantum satis  
dilatentur stagnantique sanguini cum urina præbea-  
tur exitus. His ex voto succedentibus mihi que desi-  
nente vel leniter & absque ægroti incommodo duran-  
te, cum infuso ex herbis vulnerariis eodem modo  
incipit ac in vomitu. Quotidie insimul unam alteram-  
ve dosin Tinet. Rehi V. P. adhibeat, ut alvus tenea-  
tur aperta viæque urinariæ ulterius purgentur. Ad  
avertendas recidivas statui suo adaptatam servet diæ-  
tam, paulo præsertim vescatur, potus spirituosos a-  
nimique vitet pathemata, pedes & abdomen pro-  
be vestiat ac cane pejus & angue remedia fortia  
diuretica fugiat.

De cura hæmorrhagiæ uteri nunc differendum  
est. Hæc ubi prima vice apparet ex plethora so-  
lum proveniens nullisque gravibus conjuncta syn-

ptomatibus, quæ magni vasis sanguinei rami indicant rupturam, cito tutoque curatur venæsectione, pulv. nitrosis, nominatis emulsionibus, enematibus antiphlogisticis & applicatione hirudinum, in primis si suppressus vel non recto tempore & debita quantitate rediens fluxus hæmorrhoidalis caussa illius fuerit occasionalis. Recidivis præstruitur caussas vitando quæ nimiæ sanguinis gerationi ansam præbent, & eas quæ motum reddunt naturali celeriorem vehementioremque. Si vero partus difficilioris vel abortus effectus fuerit, nec venæsectione, neque hirudines, nisi in valde plethoricis, secure in usum vocantur, nec nisi præsens quidpiam hoc in casu decernere potest medicus. E supra memoratis modo conducent emulsiones, pulv. temp., enemata, saculli ex floribus chamomillæ, rosæ & herba menthæ, quies corporis animique & sufficiens rerum necessariarum subministratio. Ubi demum in gravidis violenta placentæ ad partem separatio morbi caussa est, protinus & dextre adhibeas venæsectionem, enemata antiphlogistica ad tollendum præsentem fortassis in intestinis spasmum, emulsiones & pulv. nitrosos ad temperandum orgasmum sanguinis. Paucis modo vasis ruptis & non magna placentæ particula separata, sub initio præsertim hæmorrhagiæ, scopus hisce obtinetur. Sangvinis vero nihilominus per gente & continuo fortiusque crescente fluxu, nil superest, præsertim ubi adveniunt magna debilitas vel plane lipothymia, quam dextra fœtus cum secundinis, extractio. Perdurante tamen hæmorrhagia

gia symptomatibus advenientibus, quæ de vita ægræ timere faciunt, ad adstringentia utique confundendum est, confitear licet cataplasma ex floribus chamomillæ & herba menthæ cum aceto paratum, & supra pudenda applicatum, suffecisse. Cum vero talis ægrota pariterque quæ ex partu difficulti & abortu hac hæmorrhagia laborant, ut vulneratæ spestantæ sint, finita hæmorrhagia, ita etiam traetentur. In quiete sint, omnia vitia diætetica nec non violenta animi pathemata caute fugiant. Aër in conclavi sit temperatus ac purus. Remedia ad uterum purgandum propria non sunt negligenda, ea vero indole, ut absque magna commotione sanguinis, scopo satisfaciant. Adhibenda deinde tam externa quam interna, quæ tonum ac robur systematis uterini amissum restituere valent; sex rerum non naturalium usus insimul ita dirigendus ut omnes perniciosi morbi effectus avertantur, firmaque fundamentum struatur valetudini.

Ad curam hæmorrhagiæ hæmorrhoidalis nos iam conferimus. Ad hanc ex saepè propositis remediis requiruntur pulv. temperantes, emulsiones, enemata emollientia, & in foeminis quæ mensium suppressione, vel iisdem nimis parca quantitate fluentibus, vel denique in justum tempus haud reduntibus, laborant, applicatio cataplasmatis emollientis super regionem hypogastricam & pubis, nec non, si ita res exigit, hirudinum ad labia vulvæ. Hoc modo sensim minui & demum cessare solet sanguinis fluxus. Si etiam nimia sanguinis copia

amittitur, nihil tamen, præcipue pro valde plethoricas fortibusque subjectis, qui periculosis morbis obnoxii, metuendum est, priusquam vires deficere incipiunt aut alia, nimiæ sangvinis jacturæ symptomata adveniunt; cum notum sit, hanc hæmorrhagiæ non minus ac fluxum hæmorrhoidalem iis sæpius per quam esse salutarem, & ad curam atque præservationem doloris diuturni, inflammationum, omniumque hæmorrhagiarum, quæ plethoricos infestant, plus concurrere, quam omnia alia remedia. Ubi vero non obstante remediorum usu perdurans morbus periculosissima ægro minatur symptomata, ad cataplasma in sedandam uteri hæmorrhagiam commendatum properes, ne quid ad servandum negligatur. Quo purgetur intestinum rectum a congruato sangvine & tenesmus tollatur, hac hæmorrhagia, præcipue adstringentibus dempta, interdum oriundus, optime prosunt clysmata ex juscule a venaceo parata, nec non Tinet. rhei V.P. statim post injectum clyisma justa dosi exhibenda. Ad avertendas recidivas caussæ vitandæ sunt, quæ hæmorrhagiam exitarunt. Sedulo potissimum caveat convalescens ab usu remediorum ex aloë & similibus ingredientiis factorum. Modice edat bibatque. Omnibus etiam abstineat, quo ad tempus, exercitiis, quæ sangvinem præter morem versus vasa hypogastrica dirigunt, equitatione scilicet, agitatione incuru aut in assere &c. &c. Recuperata valetudine prudenter utatur. Abdomen artusque inferiores ritce semper vestiantur.

Ultimo loco contemplationi nostræ hæmorrhagiæ cerebri occurrit cura, quamvis, re vera existente morbo, nunquam perfecte fieri posse, §. 10. monstratum jam sit. Ex illis interea remediis, quibus cæteræ felici fere semper successu profligantur hæmorrhagiæ, proficuæ ac necessariæ sunt venæsecções, pulv. nitroſi, enemata, hirudines, Tinet. dulc. V. P. aut loco ejus elixirium anticachecticum a). Prout instituenda venæsecção magna incisione, quo largiori copia & cum imperu sangvis prosilire possit. Tantum mittatur sanguinis, quo æger carere potest, & fere ad animi deliquium usque. Applicandum etiam quamprimum fieri potest enema, sale communi mixtum, insimulque si deglutire adhuc valet æger, magna elixirii anticachectici propinanda dosis. Usus horum remediorum, prout circumstantiæ exigunt, semel vel pluries repetatur. Temporibus, aut si hæmorrhoidarius ægrotans, intestino recto adponantur hirudines; si vero fœmina, cui menses suppressæ vel nimis parce fluentes, labiis vulvæ. Pulveres nitroſos, si ad stomachum penetrare possunt, pro ratione circumstantiarum sumendi. Vapor ex lacte vel aqua calidus ægro per nares immitendus tentandumque, num per irritans qualecumque aperiri vena, sicque in capite minui possit sangvis. In conclavi spatioſo ac lucido commoretur æger, & ubi purus aër, in lucem vertantur oculi, erecto jaceat capite & ad neutrum leeti latus declinante. His adhibitis remediis, si oculos aperit & circumspicit æger,

a) vidē Kongl. Rese-Apotheket.

ger, si vel denique caput erigit & resupinus sedet, de sanitatis redintegratione sperari potest. Ad stabiliendam curam profunt ex toties memoratis, Pulv. nitrosi, statui ægrotantis conveniens repetitio venæsectionis, hirudinum, enematum, Tinct. Rhei V. P. omniumque remediorum tam diæteticorum quam pharmaceuticorum, quæ vires amissas sensim restituunt. Ad evitandas recidivas convenit usus 6. rerum non naturalium semper bene ordinatus, moderamen præcipue appetitus cibi potusque, evacuationum naturalium & excretionum sanguinis sustentatio, neque negligendæ sanguinis imminutiones usitatæ, venæsectione, cucurbitulis &c. &c.

Ita jam hæmorrhagias ex plethora, quo promisi pertraetavi modo. Tenui si placito assensu connamini adnuere voluerit benevolus lector, laboris pretium me ferre existimaverim.

